




04





~~30-8-56~~

19

---

34404



12-10-08

21

---

12-10-08



b 16678783



L A E T I T I A  
B E L G A R V M

*De la lib.<sup>a</sup> vel Col.<sup>a</sup> de Cuenca.*  
I N A D V E N T V

SERENISSIMI PRINCIPIS  
F E R D I N A N D I  
A V S T R I A C I,  
H I S P A N I A R V M I N F A N T I S,

S. R. E. C A R D I N A L I S,

Felicissimis auspicijs Belgij gubernaculum suscipien-  
tis, Elegijs & Elogijs adumbrata

à C H R I S T O P H O R O C H A M B E R L I N O .



Louanij, Apud IOAN. OLIVERIVM, &  
CORN. COENESTENIVM, Anno 1634.



REVUE DE LA  
REVUE DE LA

REVUE DE LA  
REVUE DE LA

REVUE DE LA  
REVUE DE LA

REVUE DE LA  
REVUE DE LA

REVUE DE LA  
REVUE DE LA

REVUE DE LA  
REVUE DE LA



# AVSTRIACAE Virtutis,

Imperium sine fine.

## ELEGIA IV.

**I** Nuidia domitor, monstrorum interritus hostis  
 Alcides, magni certa propago Iouis.  
 Post portentosis purgatum sordibus orbem,  
 Postq̄ triumphali monstra subacta manu,  
 Fixit in extremo victrices orbe columnas,  
 Tanquam homini ulterius non patuisset iter.  
 Ultimus humani, ceū terminus ille, laboris:  
 Ac ceū natura meta suprema foret.  
 Non tulit AVSTRIACVM finiri limite Regnum,  
 Ulterius reperit, quod superaret iter.  
 Virtute Herculeas, domus hac transgressa, colūnas,  
 ULTERIVS voluit symbolon esse suum.  
 Alcidi ignotos dominatrix subdidit orbes:  
 Pœnè ultrà solis qua spatiosa vias.  
 Inuasit gentes peregrinâ luce calentes:  
 Naturâ imperium terminat ampla suum.  
 Ast non humanis possunt sua claudere metis,  
 Imperia AVSTRIADES; se super Astra webunt.  
 Cœlestes animi, terrarum limite stringi  
 Cum nequeunt; cœli sceptrâ beata gerunt.

B

NOU



*Non alios recipit tam vasta potentia fines.  
Ultimus AVSTRIACI terminus ille troni.*

---

E L O G I V M III.

F E R D I N A N D V S

Hæresis Hercules.

**P** Rodigiorum profigatorem  
Herculem somniauit Antiquitas.

Qui septicipitis hydræ crescentem  
Rescindere conatus verticem ;  
Sed frustra, quia recrescentem.

Quæ vires ab exitio, vitam è cæde,  
Vberiore[m] semper & fertiliorem nacta.  
Citius ille robur consumere,  
Quam illa absumi poterat.

Quid tandem pugilum fortissimus ?  
Lethalē, recētibus vulneribus, facē admouet,  
Ferro, nō clauā, repullulāti feræ necē molitus,  
Tandem de Lernæo monstro triumphat.

Sic est, FERDINANDE :

Magnanimi æmulator Herculis.

Hydræ hanc hæresis refert ;



Tot numerosa capitibus, quot erroribus.  
 Illâ damnosior; quod non corpora interficiat,  
 Sed animas inficiat.

Hæc venenata bellua est, terrarum populatrix,  
 Humani perturbatrix iuris, violatrix diuini;  
 Homini infauſta, numini infesta lues.

Hæc Tuæ vim expectat dexteræ,  
 Fortitudinis Tuæ expugnanda clauâ,  
 Pietatis Tuæ igne abſumenda.

Et quid ni qui Germanicam confecisti  
 Belluam, Belgicam extinguas?  
 Hercule maior,  
 Gemini monſtri, bis victor.

VOTVM BELGICAE  
 AD VIRTUTES REGIAS,  
 AVSTRIACIS PROPRIAS.

VOTVM I.

Ad Religionem.

ELEGIA V.

**V**era Dei soboles, certissima Numinis index,  
 Qua ad superos certo tramite ducis iter.

B ij

Lux



*Lux hominum, superum pignus, sacra ianua cæli:*  
*Cui reserare polum, cuique serare datum.*  
*Pontificum sacris caput exornata tyaris;*  
*Quam recolit supplex Imperialis apex.*  
*Martyrij inuictis toties decorata triumphis;*  
*Admirandorum prodigiosa parens.*  
*Regnorum tutrix, Sceptri tutissima custos,*  
*Qua Reges similes efficit una Deo.*  
*Longa Monarcharum Austriadum possessio: cuius*  
*Munere terrarum sceptrasuperba tenent.*  
*Suggere FERDANDO vixes & numen ab Astris:*  
*Vt tua iura tegat, qui tua sacra colit.*  
*Sacra tuis pietas sic thura accendet in aris:*  
*Extruet & superis templa superba Choris.*  
*AVSTRIACÆ pietatis hic est, ut sanguinis heres,*  
*Imperio & verâ religione Numa.*  
*Ille venenati Caluini monstra domabit,*  
*Hæresis Alcidem sentiet hydra suum.*  
*Hæretica, ALBERTVS, caput hydra sustulit ense:*  
*Vret FERDANDVS colla renata face.*



VOTVM II.  
Ad Sapientiam.

ELEGIA VI.

**P**rogenies superum, caelestis alumna Tonatis.  
 Qua turpe errorum pellis ab orbe chaos.  
 Provida sceptrorum moderatrix, arbitra fati:  
 A cuius certo numine casus abest.  
 Cui aspectum grauitas, maiestas inclyta vultum,  
 Sceptramans decorant, & diadema caput.  
 Per quam sublimes Reges sua regna gubernant,  
 Per quam regnorum stat solidata salus.  
 Maius homo nullum quod fert è numine donum,  
 Cuius se solo lumine noscit homo.  
 Dum reget imperio Belgas FERDINANDVS auito;  
 Et dicet populis iura benigna suis.  
 Illius at hereo collustra sydere pectus:  
 Dum reget hic populos, hunc bona diua rege:  
 Scilicet ille tuaradiatus munere lucis.  
 Virtutum Belgis sol erit ipse suis.



## VOTVM III.

## Ad Palladem.

## ELEGIA VII.

**B**ellorum rectrix, proles Iouis inclyta Pallas,  
 Militia arbitrio quæ regis arma tuo.  
 Nec modò militia, verum & sapientia alumna;  
 Quæ nec Marte minus, nec minus arte vales.  
 Cui dextra armata est hastâ, libroque sinistra.  
 Consilio pollens, auxilioq; potens,  
 Nempe foris profunt nequicquam militis arma,  
 Ingenium nisi sit consiliumq; domi.  
 FERDANDVM geminis his artibus imbue Diua,  
 Præstans, magnanimo, numen utrumq; Duci.  
 Bellatori hastam, librum quoq; trade regenti,  
 Mente domi ut prudens, fortis ut ense foris.  
 Quid peto, quod dederas? decorasti munere utroq;  
 FERDANDVM; gemino munere sceptrâ regit.  
 Dotibus his geminis sceptrorum iura gubernat  
 Arte sagi validus, prouidus arte toga.



## Ad Astræam.

## ELEGIA VIII.

**D**iva enata polo, terris data munere Divum,  
 Imperia arbitrio quæ regis alma tuo,  
 Humana aquali mensurans cuncta bilance,  
 Distribuis certo pondere cuique suum.  
 Et decretorum moderatrix, arbitra rerum,  
 Quam sequitur pax, & pacis alumna quies.  
 Quæ sceleri pœnas, virtuti præmia pendis:  
 Limite secernens fasq; nefasq; suo.  
 Quæ vastum sanctis moderaris legibus Orbem:  
 Quæ sine nec Regnum, nec domus esse potest.  
 Te Ducis AVSTRIACI, fœlicibusingere captis:  
 Ut dicat populis iura benigna suis.  
 Ut fortunatos subiectos lege gubernet,  
 Franet & audaces lex veneranda manus.  
 Nè fines aequi vesana licentia rumpat:  
 Nè euidas tendat sua rapina manus.  
 Nè epremat tennes iniuria inulta potentum,  
 Nè ius alterius, vis furiosa ferat.  
 Nè cuius sanctum corrumpant dona tribunal;  
 Nè inclinet ludex pondere pressus opum.



*Te duce virtutum cultor, sic criminis ultor:  
Iustitia Belgis Eacus alter erit.*

---

V O T U M V.

Ad Fortitudinem.

E L E G I A I X.

**T**V quoque Belgiaca custos fortissima gentis,  
 Diua, rebellantes, qua domitura, viros.  
 Cui sua submitunt effrenes colla Tyranni:  
 Quae premis inuicta bellica signa pede.  
 Magnanima soboles mentis, Mauortis alumna:  
 Palmarum genitrix, inuidia domitrix.  
 Diua tuo comple, FERDNANDI, numine pectus  
 Possit ut aduersos Marte domare duces.  
 Ut tumidus ponat fastus, cristaq; Batavus,  
 Et reddat Domino iusta tributa suo.  
 Tum pia Relligio in terras reuocabitur exul:  
 Impiaq; a terris haeresis exul erit.  
 Sic quot victrices rapiuntur ab hoste corona;  
 Tot dabimus capiti laurea ferta tuo.

ELOGIVM



## ELOGIVM IV.

## Athlas AVSTRIACVS.

**A**thlantis, Astris proximi,  
Æmula, AVSTRIACA domus.

Sed illo montium maximo maior,

Quia Astris vicinior:

Quam Æuropa non capit,

Asiam Indiamque complexa;

Vtrâque vastior, quia cælo terminata.

Tale enim tuum est Regnum,

Ultra soli solisque vias extensum:

Cælum ipsum sustentans,

A Cælo sustentatum.

Quod Cælum sideribus;

Tot fulgens proceribus:

Eoque illustrior, quod pietate illustretur.

Hinc illuxisti FERDINANDE Sol,

Ab Oriente in Occidentem profectus,

Vt diem faceres.

Tot syderibus, quot proceribus comitatus,

Vel eo solem superans,

Quod lux tua semper oriens,

C

Nunquam



Nunquam moriens;  
 Iubaris seruet constantiam.  
 Neque verò in vesperam vergit  
 Lucifer ille, qui tenebras nescit,  
 Noctem temporum illustrat.  
 Ad hunc fulgorem illa noctua hæresis,  
 Aut aperiet oculos, aut amittet.  
 In die Deum, in lumine numen,  
 Receptura, aut vitæ lucem amissura.  
 Quippe fugatis bellorum tenebris,  
 Errorum nebulis,  
 Noctua effugiet, vel peribit.

---

## FERDINANDVS

Regiarum Virtutum exemplar.

ELEGIA X.

**E** Calo Rex est; res diuinissima Regnum.  
 Ut Cælum Regni, Rex & imago Dei est.  
 Supra homines, hominū moderator; proximus Astris  
 Qui velut humanus dicitur esse Deus.  
 A cælo culmen, de numine nata potestas;  
 Ut cuncta à solo lumina sole micant.

Ergo



*Ergo potestatem qui Numinis exprimit, idem  
Virtutes debet Numinis ille sequi.*

*Humana sortis quisquis moderatur habenas;*

*Debet & humanis altior esse malis.*

*Hic terris dignus leges prescribere, mentis*

*Qui domita posset frana tenere sua.*

*Qui imperitat vitijs, subdunt queis colla Tyranni:*

*Subiectis populis imperitare valet.*

*Cui residet pietas imis incensa medullis;*

*Virtutum columen, quaq; columna viget.*

*Cui libet, id quodcumque licet; quod non licet, illud*

*Non lubet: & sensus qui ratione domat.*

*Iustitia sanctum seruat qui lege tribunal;*

*Protegit & patria pristina iura sua.*

*Qui noxam plectit, mercede coronat honestum.*

*Autor virtutum, dum modo fautor erit.*

*Quem fauor humanus non pellit tramite recti:*

*Quem neque magnatum gratia blanda mouet.*

*Qui fauet ingenijs, & honestas qui fouet artes:*

*Qui auxilio lapsos erigit ipse suo.*

*Qui nec auaritia subdit seruilia colla:*

*Quem nec dulce malum, blanda libido trahit.*

*Cuius non frangunt inopina pericula mentem,*

*Qui premit inuictis, spemq; metumq; pede.*



Qui non aduersis timidus, tumidusq; secundis;

Qui sortem vultu cernit vtramque pari.

Cui ridet placido mitis clementia vultu:

Inq; serenat à fronte modestus honos.

Virus adulandi quisquis procul auribus arcet:

Et pestem nigra suppressit inuidia.

Qui delatori non præbet credulus aures:

Nec detractoris verba sinistra probat.

Cuius, subiectos, larga indulgentia nutrit;

Nec cui imponit dura tributa suo.

Non diadema metu, sed qui sibi firmat amore,

Nam sceptri custos non nisi solus amor.

Et qui subiectis parcat, frangitque rebelles:

Hostibus inde timor, ciuibus vnus amor.

Qui ingenio constans, mitis qui pectore, fortis

Robore, consilio prouidus vsque suis.

Artibus his vastas Regni moderetur habenas:

Artibus his Princeps, Principe maior eit.

Illis FERDINANDVM dissina potentia ditat,

Principe qui maior, numinis instar habet.



# FERDINANDVS

Naturæ Profectio.

ELEGIA XI.

**N** Vllum natura congesta potentia adornat :  
 Dispensat parca dona pusilla manu.  
 Omni virtutum nullus cumulatur aceruo :  
 Ne foret ex omni parte beatus homo.  
 Omnia dat nulli, nulli non dona rependit :  
 Indiget alterius semper & alter ope.  
 Vix vlli tantum indulgit, quin plura negarit :  
 Supra hominem surgat nè tumefastus homo.  
 Deficit hinc semper, quod perficit : officit vsque  
 Sic alijs aliud; sunt bona mixta malis.  
 Vicinis virtus vitijs obfessa tenetur :  
 Virtutum larua crimina sapè latent.  
 Viribus hic pollet, truculentis moribus asper;  
 Mitis hic ingenio, robore cassus agit.  
 Robore sapè caret, qui mentis acumine praestat;  
 Vix Ajax quisquam, pectus Uliſſis habet.  
 Sapè aliquem inuenies, qui vasto corpore turget,  
 Nullum tam vasto in corpore pectus habens.  
 Pulcher sapè animus deformi in corpore splendet,  
 Sapè animus pulchro corpore turpis inest.

C ij

Theſau-





*Theſauris hic diues, inops ſapientia: eget que  
Diuitijs animus, diuitiaque animo.*

*Quas fortuna negat gazas, natura miniſtrat,  
Que is natura negat, ſors opulenta fauet.*

*Stemmata clarus Auim, vitijs obſcurus opacis  
Noctefcit; generi degener ipſe ſuo.*

*Ad pacem hic natus; ſed martia ineptus ad arma;  
Vtilis arte toga, inutilis arte ſagi.*

*Omnigenum nulli obtingit ſincera bonorum  
Sors: imperfectum claudicat omne bonum.*

*Aſt in FERD NANDVM congeſſit prodiga, dona  
Natura; & dotes contrahit una ſuas.*

*Singula que decorant alios, effundit in unum:  
Que diuiſa alij, ſic cumulata tenet.*

*Ex varijs ſerpsit quod & unum perficit; in quo  
Oſtendit vires ambitioſa ſuas.*

*Moribus vt placidus, generoſis viribus acris:  
Et ſupra robur mentis acumen habet.*

*Pectore qui maior quam corpore; celfus utroque:  
Pectore magnanimus, corpore pulcher agit.*

*Maxima regales gazas fortuna miniſtrat;  
Cui natura ſuas prodiga donat opes.*

*Stemmata clarus Auim, virtutum luce coruſcat;  
Euibrans geminum Sole micante iubar.*



*Pace serenatus, medijs interritus armis;  
 Carus honore toga, bellicus arte sagi.  
 Maestas veneranda oculis caeleste fatetur  
 Germen, & heroi fulgidus oris honos.  
 Pandit honorũ animũ, vultus vel numine dignus;  
 Virtutum innatas fronte loquente notas.  
 His geret auspicijs magnarum pondera rerum.  
 Dotibus his felix, Belgica Sceptra reget.*

---

ELOGIUM V.

FERDINANDVS

Hercules Belgicus.

**Q** Vid portentorum architectrix,  
 Fabularum inuentrix,  
 Poëtico colore depicta Vanitas,  
 Athlantem supra nebulosos terrarũ vertices,  
 Astris Gygantæo minantem supercilio effers?  
 Immensos Polorum orbis terrigenis humeris  
 fulciens?  
 Hoc duntaxat Athlantẽ imparem oneri fassa;  
 Quod pari commenti audaciã,  
 Auxiliatorem Herculem ei adiungeres.

Quasi



Quasi sine terrenis fulcris,

Stare cælum non posset.

Secede Vanitas, succede Veritas.

Philippus Regnorum vertex, Atlantem Verum

FERDINANDVS Herculem, represat.

Vt Belgicum Orbem, terrarum machimâ

Humeris impositâ, Fortiter sustineret Philippus,

Fratri in partem oneris frater accedit.

Regale par fratrum:

Quibus nihil natura maius, fortuna par habet.

Quibus inicitur Belgarum incolumitas;

Quorum magnitudo à cælo stabilitur.

Neque enim mirum sustineri nos à cælitibus,

Qui cælitum in terris honorem potegitis.

PROVINCIAE BELGICÆ

Duodecim gemmas radiatam coronam in  
subiectionis Symbolum

FERDINANDO Principi offerunt.

**E**N tibi bis senis Diadema illustre lapillis,  
Princeps do capiti Belgica clara tuo.

Virtutum totidem gemmae sunt symbola: quarum  
Irradians sacro in pectore lumen habes.

*Nimirum*



*Nimirum, Calum duodenā ut signa coronant,  
 Bis senis gemmis texta corona datur.  
 His duodena tuis accendes sidera Belgis;  
 Quaeis splendens, patriæ soleris ipse tua.*

## Brabantia Ducatus

Vnionem Maiestatis indicem offert.

**B** *Elgarum capiti, caput ipsa Brabantia, primam  
 Gemmam prima fero; qua diadema micet.  
 Gemmarum Princeps est vnio, ut vnicus ipse  
 Princeps; cui populi se vouet vnus amor.  
 Illâ maiestas signatur Regia: spargi  
 Quae vetat in plures Regia sceptrâ Duces.*

## Limburgum Ducatus

Amethistū moderationis seu temperantiæ symbolū defert.

**O** *Bsequio vestrūm semper fidiſſima Auorum:  
 Hei mihi! nunc hosti facta rapina meo.  
 A domini auulſit, quam nuper iure, rebellis:  
 Auspicijs iterum restituenda tuis.  
 Do gemmam, qua se moderetur magna potestas:  
 Et sibi, qui reliquis dat, dare iura docet.  
 Sobrius ex vino qui temperat, aptus habenis:  
 Sobrietas Regni vita, salusq; Ducis.*

**D**

*Sobrius*



## Luxenburgum Ducatus

Chrysolitum, pietatis tesseram dicat.

**I**lla ego sum Princeps, tutrix pietatis auita :  
Fida in amore Duci, religione Deo.

Chrysolitum, indicium pietatis confesco : cuius  
Auratus quadrat cum pietate color.

Cum Numen Princeps pietate imitetur, an ergo  
Cum pius es, Belgis numinis instar eris ?

## Geldria Ducatus.

In Iaspide subditorum amorem repræsentat.

**H**inc partim Domino, partim subiecta rebelli  
Geldria; diuersis distrahor imperijs.

Ast subiectorum lapis hic designat amorem:  
Hanc gemmam, Princeps, dat tibi noster amor.

Conciliare potes animos, hoc pignore amoris :  
Quos iam diuisos vniet vnus amor.

## Flandria Comitatus

In Smaragdo munificentiam designat.

**E**Nego magnorum Comitū augustissima mater:  
Flandria, Belgiaci portio magna soli

Munifici



*Munifici gemmã, Princeps, tibi dono Smaragdum.*

*Virtus regales qua decet una manus.*

*Vicinis radios hac spargit lumine gemma :*

*Sic Princeps sparsomunere lucet opum.*

### Arthesia Comitatus.

In Adamante fortitudinem exprimit.

**R** *Obustos animos, qua gigno Arthesia bellis,*  
*Atque infractorum martia corda Ducum.*

*Pectoris indomiti signatam robore gemmam*

*Dono: ut constanti pectore semper eas.*

*Non Adamas ferro, rapido neque frangitur igne.*

*Sic decet ex solido cor adamante Ducem.*

### Hannonia Comitatus.

In Aleatoria Virtutem Bellicam exhibet.

**H** *eroum nutrix numerosa Hannonia: clavis*  
*Nobilium titulis incluta, Marte potens.*

*Belligerum lapidem vestris hunc infero gemmis:*

*Vt sternas hostes Marte potente tuos.*

*Dicitur iste lapis vires tribuisse Miloni:*

*Arcano gemma munere, victor eris.*



## Namurcum Comitatus.

In Topazio prudentiam consecrat.

**V**irgo ego, qua hereticis nunquã violata tyrannis,  
Grata fide superis, fida in amore Duci.

Atq; vel hoc prudens: gemma hac prudentia imago:

Qua fulget capitis sacra corona tui.

Vt cernas ut decernas, prudentia prestat:

Hac lumen mentis, Principis est oculus.

## Antuerpia Marchionatus.

Carbunculum vigilantia notam inserit.

**F**ilia Mercurij pulcherrima, scaldis alumna;  
Panè auro & gemmis clarior ipsa meis.

Qua vigilem signat, gemmam tibi defero: semper  
Vicino, excubias qua vigil, hoste fero.

Nocte dieq; micat Carbunculus, otia pellens

Principis: hunc vigilem nocte dieq; iubet.

## Mechlinia Dominium.

Sardium Iustitia gemmam imponit.

**I**ustitia cultrix MECHLINIA, criminis ultrix:

En ego, legalis Curia sancta troni.

Iustitia gemmam, tibi consecro, maxime Princeps:

Ut valeas populis dicere iura tuis.

Iustitia



*Iustitia effrenes expellit lege furores,  
Sardius ut pellit luce potente feras.*

**Hollandia cū Prouincijs confœderatis,  
Achatem, langoris curationem donat.**

**N**eptuni iaceo subiecta Batavia regno;  
Principis imperio nunc aliena mei.

*Debeo vectigal, violentus quam tenet hostis;  
Affectu tua sum, re cupio esse tua.*

*Morborum medicū, tibi Princeps, offero Achatem,  
Quo fiet nostris certa medela malis.*

*A capite abstractum, languet sine robore, corpus:  
Si capiti rursus iungitur, orta salus.*

*Sic rursus vinet mens sana in corpore sano,  
Cum sese capiti subdet utrumq; suo.*

### Burgundia.

Sapphyrum doctrinæ indicium adiungit.

**C**Lara togis, generosa sagis Burgundia: Dina  
Cuiq; simul Pallas, cuiq; Minerva fauet:

*Sapphyrum donat, regales qui notat artes,*

*Quo regere & pacem, quo regere arma queas.*

*Hinc veteres, hastam & librū tribuere Minerva,*

*Et fauet hac hastâ, cui fauet illa libro.*

**D ij. ELOGIUM**



## Ad Leonem Belgicum.

**R**egium animal Leo; animalium Rex,  
 Fortitudinis index, iniuriæ vindex:  
 Ferarum domitor, sed nobiliorum;  
 Ignobilium contemptor, quas ira sua indignatus,  
 Prostratis non conculcas.  
 In resistentes truculentus, in prostratos benignus:  
 Tam mitis, quàm metuendus.  
 Id regium spirans,  
*Parcere subiectis, & debellare superbos.*  
 Omnium animalium victor, à te solo vincendus:  
 Ad te tandem redi, ferarum moderator.  
 En *Ferdinandus*, ferarum domitor:  
 Tot leonum indutus exuvijs, quot barbarorum spolijs:  
 E Suecicis bellis, dicamne belluis? triumphator.  
 Agnosce quadripedum Rex,  
 Reginam volucrum Aquilam, sed *Austriacam*:  
 Quæ non minus regionum Imperatrix est,  
 Quam illa avium moderatrix.  
 Agnosce inquam Iouis armigeram Aquilam,  
 Ministram fulminis, magistram luminis,  
 Volucrem numinis.  
 Huius subiectus alis,  
 Ferarum lustris, nemorum relictis latibulis:  
 Terris altior cælum scandes:  
 Hæresisque erroribus, errorum discussis tenebris,  
 Lumen conspicias, numen suspicias;  
 Duci, luci, dici, Deo tandem redditus.



51

De Ignibus triumphalibus Bruxellæ,  
in aduentu Cardinalis  
Principis extractis.

**A**rtifices radij, nocturna iniuria luna;  
Lumina stellatis fulgidiora Choris.  
Vos quoq; terrestri mendaces igne Cometa;  
Omina letitiæ fausta q; prodigia.  
Lata coronatis qua cingitis æthera flammis:  
Qua noctem in rutilum pellitis exilium.  
Obscurum lepidè cur sic accenditis axem?  
Cur picturatis ignibus ardet humus?  
Multatis tenebris, alieni temporis hospes,  
Aduena nocturno cur micat orbe dies?  
Bacchatur tacita cur pompa inimica quieti?  
Et vigili irrisus somnus ab urbe fugit?  
Scilicet hos ornat FERDINANDO Belgica plausus.  
In terris simulans sydera, nocte diem.  
Nempè tenebrosis adfert qui lumina terris:  
Hunc tenebricos à lumina nocte decent.

ELOGIVM



ELOGIVM VII.  
FERDINANDVS

NOVVS ALEXANDER AVSTRIACVS.

**M**acedonis *Philippi* hæres,  
 Paternæ æmulus gloriæ, inuidus victorijs,  
 Nomine æquè ac peçtore Magnus;  
 Sed ambitione tantus, quantus vtroque:  
 Indignatus patris victorijs suas coarctari,  
 Indignationem lacrymis testatus est.  
 Quasi tot sibi raperentur triumphi,  
 Quot illi contingerent.  
 Et tu *Philippi*, sed maioris filius, melioris frater:  
 Cuius aui *Philippi* singuli, Macedones omnes,  
 Rebus gestis, gloriâ, magnitudine superant.  
 Tu, inquam, *Magno Alexandro*,  
 Par indole, maior sanguine:  
 Virtutis, gloriæ, trophæorum segetem habes,  
 Quidquid in Belgico orbe,  
 Magnanimi parentis victoriam subterfugit.

F I N I S.

---

C E N S V R A.

*Poterit imprimi.*

ANTONIVS LOVERIVS, Lib. Censor.









FERDINANDUS

M...


...

J. R. L. S.

...

...









34